

## LIBER PRIMUS SAMUELIS

---

HISTORIA SAMUELIS 1 Reg. 1-7.

ARG. — Ostendit propheta, qua ratione ipse ad iudicis officium fuerit evectus. Et primum quidem enarrat, quomodo precibus fuerit a matre sterili impetratus divinoque in Silo ministerio consecratus, ibique filiorum Heli praesens aspexerit impietatem. Dum mater Anna prole a Deo datur, indulgens pontifex a viro Dei severe reprehenditur atque domus suae ruinam edocetur. Ipsi mox Samueli Dominus in visione adest minas iterans. Propheta Samuel a populo agnoscitur, eosque ad bellum contra Philisthaeos evocat. Cladem tandem consequitur victoria, iudexque Samuel ab omnibus salutatur. — Hoc Samuelis scriptum in septem, uti Intr. n. 3 monuimus, paragraphos dividitur, quarum post primam singulae exordiantur animadversione aliqua, quomodo Samuel adoleverit, creverit, profecerit.

### 1) Samuelis nativitas 1,1 - 2,11.

Anna, ob sterilitatem ab aemula afflicta, voto nanciscitur filium Samuelem; quem ubi ablactavit adducit in Silo, ministrum futurum Domini, canticumque pronuntiat.

Cap. I v. 1 « *Fuit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, et nomen eius Elcana, filius Ieroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephrataeus* ». Narratur de Samuelis nativitate s. scriptor incipit ab eius familia describenda. Pater oriundus erat ex Ramathaim Sophim: cum ex 9, 3 constet, eum locum situm fuisse in terra Suph, er-

go Sophim est appositio a nomine pagi vel rectius paganorum petita, ac si dicas Ramathaim Sophitarum. Utrum vero pagi nomen connexum sit cum nomine Suph (h. l. et 1 Par. 6, 35 — secundum hebr. 6, 20) vel Sophai (1 Par. 6, 26 — secundum hebr. 6, 11), Elcanae avi, definiri nequit. Ramathaim seu Ramatha sita erat in tribu Iuda, inter Bethlehem et Hebron. Unde verba *de monte Ephraim* non ad urbem Ramathaim sunt referenda, cum Ephraim mons in tribum Iuda nequaquam protenderetur; non Elcanae domicilium indicant, sed eam, cui civiliter adscriptus erat, tribum. Origine levita erat, civili attributione Ephraimita, domicilio Iudaens. Ita *Ios.*: Ἐλκάνης, Ἀσούτης ἰσραήλ, τῆς Ἐφραΐμου κληρονομίας, Ῥαμάθην πόλιν κατωκίων. Pro *Ephrataeus* malim vertere *Ephrataei* (*Mar.*): quod Suph Ephrataeus appelletur, confirmat illud, quod dicebatur, fuisse Elcana de monte Ephraim; si utrumque ad Elcanam referatur, habetur tautologia. Elcanae genealogia per quatuor membra describitur, ut vir ab aliis homonymis distinguatur: fuerunt enim inter posteros Caath 1 Par. 6, 22 sqq. ad minimum duo alii viri nominis Elcanae. Indidem patet, Elcanam et Samuelem non fuisse sacerdotes, quod iam perspexit *Ps. Eucher.* (M. 50. 1053). Proavis Samuelis accensetur Core, quem Num. 16 contra Moysen rebellantem terra deliiscens absorpsit: « Ita Deus ex spina rosam produxit » (*Lap.*).

Hebr. copula incipit et *fulvir*, unde recentiores aliqui intulere, non novum aliquem h. l. sacrum librum inchoari, sed narrationem aut esse truncatam, aut Iudicum librum continuari. Si dicas, copulam scribi ex aliquo ad Iudicum librum respectu, id quidem defendi potest. Si autem affirmes, esse hac copula evinci 1 Reg. et Iud. primum unicum librum fuisse, cf. 3 Reg. 1, 1; 2, 12, 46; a 3 Reg. novum incipere librum sentiant omnes; omnesque eandem exordiantur ab uno e tribus versibus laudatis: ast hi versus singuli copula incipiunt. Ergo novus liber apud Hebraeos a copula utique incipere potest.

Ex voce *unus* rationalistae pridem arguebant recentiorem libri redactionem, quod serius tantum ea vox in sensu nostri pronominis indefiniti *aliquis* usurpari consueverit. Frequentior quidem in libris posterioribus is usus vocis est, sed non ad illos restringitur, cf. Ex. 29, 3: « et posita in canistro (uno) offeres ». *Mendoza* de quaestione « Cur Elcana, unus appelletur » scripsit columnas in folio quindecim, ubi de unitate iustorum propter paucitatem, caritatem, sinceritatem, et de multiplicitate iniustorum propter calliditatem subtiliter valde disputavit. Vox apud LXX deest; utrum in textu primitus fuerit, non liquet; est ex numero eorum vocum, quae quandoque in sacrum textum irreperant, uti perspicere est ex v. 24, ubi eam habent Hebr. Chald. Syr. contra Vulg. LXX, et ex 2 Reg. 6, 19, ubi eadem ter scribitur, sed in loco parallelo 1 Par. 16, 3 ignoratur.

Nominis *forma* Ramathaim in textu hebr. hoc unico loco prostat, estque sa e identica cum formis Ῥαμάθην vel Ῥαμάθην 1 Mach. 41, 34 et Ἀραμάθην Matth. 27, 37. Formam *dualisticam* Ser. *Lap.* inde explicant, quod urbs in duobus collibus fuerit aedificata. Vel duo illi colles imminabant, aut forma aut reli-

gione insignes; colles quippe aetate patriarcharum et inter Chananaeos sacri haud raro habebantur. *Sanct.* putat, duas fuisse urbes contiguas Ramae nominis; sic ex inscriptionibus cuneiformibus perspicuus, nomen Sepharvaim inde ortum duxisse, quod duae essent Sipparae, flumine interiecto separatae. — Eam urbem incolebat Elcana (1, 3, 49; 2, 11) et postea Samuel (7, 17; 8, 4; 13, 34; 16, 13; 19, 18, 22), quibus locis LXX constanter retinent formam Ῥαμάθην (*Ios.* tamen Ῥαμάθ), reliquis constanter substituentibus *Ramatha*, quam formam *Chald. Syr.* etiam h. l. servant. Ergo idem est Ramatha, quod Ramathaim. — Praeterea 1 Reg. 19, 19, 22, 23 et 20, 1 *Hebr.* LXX loquuntur de loco quodam Naioth in Rama, qui cum Ramatha vel idem est vel omnino propinquus, *Vulg. Chald. Syr.* constanter Ramatha substituentibus. 23, 1 et 28, 3 dicitur Samuel sepultus in domo sua in Rama, ubi *Vulg. Syr.* habent Ramatha, LXX Ἀραμάθην, *Chald.* semel Rama. Quae ritur iam, sine Rama aliud nomen pro Ramatha. Quodsi solum Naioth attendas, dicere poteris ברתה non aliud significare, nisi in colle; poterisque fingere, ipsam urbem Ramatha fuisse in clivo collis sitam, prope cuius cacumen, in loco ab hominum strepitu remotiore, fuerit Naioth, propheta-rum receptaculum. Sed obest, quod 23, 1; 28, 3 sermo sit de domo Samuelis in Rama, quae 1, 49; 7, 17 vocatur domus eius in Ramatha: ergo idem videtur esse Rama et Ramatha. Dein forma ברתה tum solum usurpatur, quando de mortu ad locum agitur, ut explicari possit orta esse ex רבה adhibito ה locali. Unde perquam probabile evadit, idem esse Rama quod Ramatha. — Hinc vero sponte sequitur, plures debuisse esse urbes, quae Rama seu Ramatha, i. e. collis, vocarentur, neque nostram hanc necessario debere eandem esse cum unalibet ex iis, quae alii scripturae locis nominantur. Habetur Rama in tribu Nephthali *Ios.* 19, 36, cf. v. 29; Ramoth Gilead, quae *Ios.* 13, 26 Rama appellatur; Ramathlechi *Iud.* 45, 17 in tribu Iuda; Arimathaea. Pluribus placuit Rama tribus Benjamin, haud longe a Gabaa distans, cf. *Ios.* 18, 25; *Iud.* 4, 5; 19, 13; *Is.* 10, 29; *Os.* 5, 8. Rationes, cur praefereamus Ramam tribus Iudae, 34 leuae ad septemtrionem Hebron, in exponendo cap. 10 discutimus.

Qui nostram Ramam tribui Benjamin concedunt, recurrit ad *Iud.* 4, 5, ut probent, montem Ephraim etiam in eam tribum porrigi: « (Debbora) sedebat sub palma, quae nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel, in monte Ephraim ». Ex textu non sequitur, Ramam fuisse in monte Ephraim, sed palmam; insuper ostendendum est, intelligi Ramam Benjamin (et Ram), et non aliam propius distantem a Bethel. Accedit *Ios.* 21, 4, 5. 20, 21 affirmans, filios Caath non sacerdotibus, e quorum numero erat Elcana, attributas esse urbes in tribu et in monte Ephraim, non vero in tribu Benjamin.

v. 2 « Et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundae Phenenna. Fueruntque Phenennae filii, Annae autem non erant liberi ». A patre ad matris conditionem describendam procedit auctor. Prior nominatur Anna, quod sit mater Samuelis, non necessario ideo, quod fuerit ducta ante Phenennam. Plurium V. T. mulierum, quae typos servatoris genuerunt, sterilitas effertur: « Videtur Deus iteratis illis portentis

gradatim voluisse elevare hominum mentes ad portentum virginei conceptus agnoscendum. Quis tam stolidus non perspiciat, post tot steriles fecundatas ad gignendos messiae typos, eminentiam messiae matri debitam servari non potuisse nisi conceptu virgineo! » (*Duquet* ad 2, 10). — Egit s. auctor de Elcana et uxoris quoque; iam, quod sequentia occasione sacrificii Silunte oblati evenerint, describit annuam Elcanae religionem et uxorum dissidia. v. 3 « *Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus,* » i. e. singulis annis, « *ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo* ». Cf. Ios. 18, 1; Iud. 19, 31. Prima vice h. l. habetur in s. scriptura expressio *Domini exercituum* seu *Iehova Sabaoth*.

*Statutis diebus*, *Hebr. a diebus in dies*, quod *Chald.* explicat *a tempore festi in festum*; unde cum *Ps. Hier.* putavere multi, ascendisse Elcanam quotannis ter, festis sc. paschae, pentecostes et tabernaculorum. Sed ex 27, 7 (secundum *Hebr.* *Chald. Syr.*) patet *יום* significare annum, ergo h. l. *de anno in annum*, i. e. singulis annis. Cf. dicenda ad 29, 3. Idem habes ex Iud. 17, 10, ubi recte *Vulg.* « *daboque tibi per annos singulos* », *Chald.* « *pro spatio anni* ».

Nomen divinum antiquitas (cf. Ex. 3, 14 sqq.) receptum erat Iehova; inde expressiones *Iehova Deus patrum vestrorum*, *Iehova Deus vester*, *Iehova Deus Hebraeorum*, *Iehova Deus Israel*. Cui ultimae expressioni omnino analogae est expressio *Iehova Deus Sabaoth* seu contracta *Iehova Sabaoth*. Frequentissime utraque appellatio copulatur: *Iehova Deus Sabaoth*, *Deus Israel*, seu *Iehova Sabaoth*, *Deus Israel*; *Sabaoth* constanter posito ante *Israel*, ut pateat exercitus illos nobilissimus quidam esse solo populo *Israel*, quo nobilissimus nihil super faciem terrae tunc reperiebatur. Quibusnam autem illi exercitus consistit, clare pronuntiat angelus Ios. 5, 4: « *Sum princeps exercitus Iehovae* », i. e. *angelorum*. Habes hic principem coelestis Dei exercitus alloquentem Iosue, principem exercitus Dei terrestriis (cf. Ex. 12, 41). *Sabaoth* complecti angelos, clare rursus patet 3 Reg. 22, 19: « *Vidi Iehova sedentem super solium suum, et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris* »; *Ps.* 148, 2: « *Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnis exercitus eius* » (*Hebr.*); *Is.* 6, 3: « *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Iehova Deus exercituum* »; et *Luc.* 2, 13. Neque obstat, *stellas* quandoque eadem voce significari. Nam *stellae* nunquam dicuntur exercitus Iehovae, sed exercitus coeli, et hoc vel ad mentem idololatrarum eas adorantium, vel poetico sermone uti *Ier.* 33, 22; *Is.* 40, 26 et etiam *Gen.* 2, 1. Licet autem expressionem *Deus exercituum* veteris reddi per *Deus stellarum*, aliunde tamen *stellas* etiam eo nomine quodammodo includi non infirmum. Secundum *Gen.* 2, 1 sc. omnes creaturae, quotquot in coelo et in terra reperiuntur, animatae atque inanimatae, « *exercitus* » vocantur. Commendatur igitur versio *LXX* (2 Reg. 3, 10; 7, 8, 26, 27 et alibi) *παντακράτωρ*, dominus universorum, ergo omnipotens, supremus, sub cuius imperio omnes omnino creaturarum ordines militant. Cf. *L. Reiske*, *Der Prophet Malachi*, Giessen, 1836 p. 231 sqq. Quod autem primum initio historiae regni divinum nomen *Iehova Sabaoth* introducat, hoc etiam perquam conveniens est. *Deus*

quippe suas revelationes adaptat statui et necessitati eorum, quibuscum agit. Hinc *Iob* 1, 6 conspicitur in medio « *filiorum Dei* » consideris, tanquam supremus parens patriarchali familiae invigilans. Quandoiu Abrahamidarum selecta stirps ex una familia exerescit in populum, *Deus* nominibus appellari vult familiarem quandam necessitatem experimentibus: « *Deus Abraham, Isaac et Iacob* », « *Deus patrum vestrorum* », « *Deus Israel* ». Quando vero eadem stirps in nationem iamiam exerevit, stabiliter in patria condesit regni que institutionem meditatur, *Deus* regis instar regio nomine insignitus regisque exercitibus stipatus apparet — *Iehova Sabaoth*.

« *Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini* ». Ergo, quibus officium incumbere sanctitati sacrificii consulendi, quibuscum Elcanae in opere sacrificii conveniendum esset. Emphaticus in fine huius versus filiorum *Heli* sacerdotum, in fine praecedentis versus *Annae* sterilitas effertur: sacerdotium neglectum fecunditatem orbavit liberis, dum humilis fiducia de sterili progenit prophetam.

v. 4 « *Venit ergo dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennae uxori suae et cunctis filiis eius et filiabus partes* »; v. 5 « *Annae autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluderat vulvam eius* ». Verba omnia, uti v. 6 et 7, vertenda sunt imperfecto; agitur de re, quae singulis annis fieri consueverat. Cum *LXX* pro *טריסט* (*Vulg. tristis*) lege *טנט* tantum, quod iungendum cum sequenti *ט*, *טנט* est. Hinc sensus facillimus: Recurrente quotannis constituto sacrificii die, dabat Elcana Phenennae eiusque liberis partes, singulis singulas, a matre fortasse liberis assignandas; Annae autem dabat partem unicam; *veruntamen* Annam praediligebat; quominus vero dilectionem abundantiore largitione manifestaret, illud prohibebat, quod Dominus concludisset vulvam eius.

Veniebat ergo dies, et immolabat — ita iungimus secundum *Vulg. LXX* et accentum *hebr.*, ut sit sensus: Veniebat ergo dies, quod immolare Elcana; sen: quoties singulis annis recurret immolandi dies, *טריט* i. e. dies constitutus, dabat Elcana etc. Posset absolute permitti constructio, cuius meminisset *Maltr.*: Et factum est: in die, quae immolabat Elcana. Sensus idem. — Multum ea Annae portio torsit interpretes. *טנט*, tam in sing. quam in duali, iram significat, nunquam vero tristitiam. Unde perperam *Vulg. tristis*. Nota *Mar.* animadversionem, *S. Hier.* ex v. 4 « *vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati sumpsisse occasionem h. l. pro faciebatur vertendi tristis*. Primaria dualis significatio est *nares, facies*. Hinc *Sanct.* partem faciei partem lectissimam explicat, et concordat *Chald. partem electam. Duquet* partem faciei eam intelligit portionem, quae ante ipsam Elcanae faciem fuisse apposita, suam propriam portionem: sed cur dicitur *una*? *Syr.*, ingenium suae linguae secutus, vertit *duplum*; quod explicat *Keil* « *portionem pro duabus personis* ». Sed personae significatio voci *hebr.* certe non competit, et dualis *טנט* semper aut singulari aut plurali, nunquam vero duali acceptione adhibetur. — Quae explanationes omnes id efficiunt, consuevisse Elcanam Annae tribuere portionem maiorem vel meliorem

rem, in praedilectionis signum. Qua in re insipientiae arguendus esset, ob datam Phenennae liberis iustam invidiae causam. Dein eae explanationes omnes violentae sunt, facientesque אַפְסִים (dependens a כֹּחֵה, quod propter interpositum דַּחַח difficultatem habet. Stantium LXX.

v. 6 « *Affligebat quoque eam aemula eius, et vehementer angebat in tantum, ut exprobraret, quod Dominus conclusisset vulvam eius* ». Melius ita : affligebat quoque eam aemula afflictione (eo animo), ut indignanter ferret (Anna), quod Dominus conclusisset vulvam eius.

גַּם « quoque », aut cum *Vulg.* post primam vocem legebatur, aut certe eo sec. sensum est trahendum. בְּעִבְרִי correctius quam in *tantum ut (Vulg.)*, vertitur *propterea (LXX)*, vel ut finale. הַרְעִיבָה melius vertitur *indignanter ferre (LXX Syr.)*, quam *exprobrare*, quae significatio demonstrari nequit. Nota aemulae malitiam, Annae indignationem provocare studentis, non tam de conviciis acceptis, quam potius de ipsa divinae providentiae gubernatione.

v. 7 « *Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini et sic provocabat eam* ». *Domus Domini* h. l. est tabernaculum in Silo. Pro עֲלֶתָהּ, *cum ascenderet ipsa*, legebat *Vulg.* עֲלֵתָהּ, *cum ascenderent ipsi*, quod utique est magis obvium : sententiae subiectum non est Phenenna (*Syr.*), sed Elcana, verbum quippe est masc. generis. Subiectum vero ultimi incisi (*provocabat*) est Phenenna, verbum enim in fem. ponitur. Sequentium subiectum evidenter est Anna. Eiusmodi subitae subiecti mutationes a genio linguae hebr. non abhorrent. « *Porro illa fiebat et non capiebat cibum* ». Quotannis ipse Annae unicam tribuebat portionem, pluribus pro liberorum numero aemulae tributis; quotannis ex hac distributione Phenenna occasionem sumebat affligendae Annae; quotannis Annae festiva solemnitas in luctum cedebat et abstinentiam. Tota phrasid pulchritudo praecise subiecti mutatione constat.

v. 8 « *Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? et quare non comedis? et quam ob rem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii?* » Ab iis quae quotannis fieri consueverant, iam ad ea, quae uno aliquo anno evenere, s. auctor gressum facit. Ex hebraeo quidem non satis liquet, ubi eorum, quae toties quoties fierent, narratio terminetur et eorum, quae semel dumtaxat facta sint, relatio incipiat. Sane, quae v. 4-6 narrantur, teste v. 7 quotannis recurrebant. Num vero quotannis etiam Anna usque ad lacrymas provocabatur, et ab Elcana verbis v. 8 vel similibus demulciebatur? v. 9 certe semel facta narrat; et v. 8 etiam videtur, quatenus v. 7 ea, quae toties quoties fiebant, resumendo concludit. Ceterum, licet hac vice affirmetur Elcana taliter esse locutus, non sequitur eum, aliis vicibus similia non esse locutum. — *Decem filii* pro multis ponuntur: cf. Num.

14, 22; Gen. 31, 7. 41. Anna non tam de aemulae conviciis, quam de sua sterilitate moeret; quod probe intelligens Elcana, Annae attentionem revocat ad felicitatem uxoris bonum maritum possidentis. Vox *melior* indeterminata omne genus excellentiae complexitur: Nonne ego tibi pretiosior, carior, amantior sum multis liberis? Fallit suus pium Elcanam affectus, dum et propriam excellentiam modeste exaggerat, atque tertium comparationis plus aequo deprimit: non enim inter bonum maritum decemque liberos instituenda erat comparatio, sed hinc inter bonum maritum eumque solum, illinc inter bonum maritum decem bonis liberis stipatum ideoque omnino praefarendum.

v. 9 « *Surrexit autem Anna, postquam comederat et biberat in Silo* ». Hic dicitur Anna comedisse, v. 7. 13 dicitur neque comedissem neque bibissem, v. 18 asseritur postmodum tandem comedissem. LXX commutatis suffixis: *postquam comederant*; quae suffixa inter se commutari vidimus etiam v. 7. Vel dicamus cum *Lyr.* eum, qui parum edat, dici non comedere; et verisimile est, Annam parum quid cibi degustasse, quod epulum sacrum esset, et etiam ut mariti suasioni obsequeretur (*Greg. Sanct.*). Potest tandem *postquam comederat et biberat* fortasse accipi tamquam expressio aequivalens alteri *postquam interfuerat epulo sacro*; quem sensum commendat additamentum *in Silo*, quod tamquam mera loci determinatio h. l. abundat, apte vero adiecit ad epuli sanctitatem efferendam. — LXX, loco *postquam biberat*: καὶ ἔπιον Κορίθω. Lectio bonum quidem sensum praebet, sed a *Then. Wellh.* critice praeferrenda esse non probatur.

« *Et Helī sedente super sellam ante postes templi Domini* », v. 10 « *cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter* », v. 11 « *et volum vorit dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulae tuae, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillae tuae, dederisque servae tuae sexum virtilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius, et novacula non ascendet super caput eius* ». « *Magnum orationi suae pondus addiderat Anna, dum ad preces addidit lacrymas; sed addit multo gravius, dum non tam orat, quod suo, quam quod ipsius Dei futurum sit usui consecratum* » (*Sanct.*). Notavimus supra Phenennae malitiam, Annam ad murmurandum in Deum provocare conantis; notavimus blanda Elcanae verba, commendantis felicitatem mere naturalem uxoris bonum maritum natae : *surgit* iam Anna, non ut Deo imprecetur, sed ut illum precetur; prolem exposcit, non ut liberorum simul cum mariti convictu fruatur, sed ut eam brevi a se abdicationem Deo consecret. Cur ita? Anna *ancillam Domini* se esse meminit, filiamque populi eius famulatu specialiter foedere adscripti; *fide* prolem desiderat, quae operi messianico cooperetur. Pluribus hoc Annae votum celebrat

*Chrys. (M. 34. 640 sqq.)* : « Vide mulieris pietatem. Non dixit : Si dederis mihi tres, duos tibi do; sin autem duos, unum do tibi, sed : Si unum solum dederis, totum tibi fructum consecro. . . . Non illi venit in mentem haec apud se dicere : Quid vero fiet, si, dum tener est infans, aquae potu eius valerudo laedatur ? quid si in morbum incidat ? quid si gravi morbo oppressus moriatur ? Sed cogitavit eum, a quo esset dandus, posse illius quoque sanitati providere. . . . In oratione non meminit aemulae, non eius convicia commemoravit, non in medium protulit eius opprobria, non dixit : Ulciscere me de improba et scelestia illa muliere, quod multae faciunt mulieres ».

Annae votum duo complectitur : filium divino servitio in perpetuum consecrandum, dum levitarum ministerium ex Num. 4, 2 sq.; 8, 24 sq. nonnisi a trigesimo ad quinquagesimum annum duraret; et eundem filium in perpetuum nasiraicum constituendum. Censenda autem est Anna voluisse filium obligare non ad solam comam intactam servandam, sed ad reliquas item nasiraeatus condiciones Num. 6, descriptas implendas, quas LXX h. l. discrete exprimunt. Non quidem stricte obligabatur filius postmodum nasciturus ad matris votum implendum, cum praevia matris voluntas ad talem obligationem inducendam minime sufficeret; sed ipso suae nativitatis facto, ad instar divinae vocationis, ad eam obligationem libere iam suscipiendam invitabatur. Cf. *Duguet*.

Thronus in hebr. articulum habet, ergo determinatus quidam thronus, certum locum occupans. — דריכל, aedes, palatium Iehovae, frequens in posterioribus libris appellatio est templi; unde iam *Calm.* discernit h. l. vestigium posterioris libri descriptionis. Argumentum tamen non est omnino stringens. דריכל antiquius apud Orientales templa appellabantur, neque video, cur non potuerint Iudaei, exeunte iam iudicum epocha, tabernaculum foederis hoc aedris vel palatii nomine insignire. דריכל postmodum vel templum universum denotat, vel partem eius potiore, atriō excludo, cf. 3. Reg. 6, 3. 17; 7, 50. Potuit ergo sella Heli constituta esse prope ingressum vel ipsius tabernaculi, vel atri; quod alterum praefert *Sanct.* quod Heli videretur sedisse ut iudex magis, quam ut pontifex, ad causas etiam profanas audiendas. Afflictio, אכזביות, eadem vox quae Luc. 1, 48. *Semen virorum* pluralis est speciem denotans; cf. *Zachar.* 9, 9 « pullus filius asinarum », i. e. asinae. Peit autem Anna prolem masculam, non solum quod filia inter templi ministros adscisci non potuisset (*Sanct.*), sed quod familiae usque ad Messiae tempora perduratum desideret.

v. 12 « *Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret eos eius* ». Multiplicabat preces, non sola duratione, sed praecipuis instantia; sola enim prolixior mulieris oratio, cum quieto laborum motu, suspicionem ebrietatis vix suscitasset. v. 13 « *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur* ». דבר על לב non significat loqui in

corde, quod omnes habent versiones, sed loqui super corde et, sec. Gen. 34, 3 (Hebr.) *suaviter loqui ad cor*: « locutus est super cor puellae », quod Vulg. vertit « tristemque delinivit blanditiis ». Pro וּלְ igitur lege לֵב, quae frequentissime permutantur. וּלְ אִיִּם etiam 27, 1 vertitur « ait in corde suo ». « *Aestimavit ergo eam Heli temulentam* », v. 14 « *dixitque ei: Usquequo ebria crī?* » Usquequo te ebriam geres? Ita cum *Chald.* verte hitphael, iam nimis diu te ebriam gessisti. « *Digere paulisper vinum, quo mades* ». Hebr. *Fac, recedat vinum tuum a te*, et dein hic revertere et ora. Modus, quo vinum subigatur, non describitur accuratius; maxime obvius est somnus, cf. 25, 37; certe non consultitur vomitus (*Then.*) v. 15 « *Respondens Anna: Nequaquam, inquit, domine mi* », ebria sum. « *Nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque et omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini* ». Annae moderationem commendat *Greg.*, quae superiori, licet falsa obiciēti, reverenter respondeat; eandem laudat *Chrys.*, quae prius tulerit silenter sterilitatis, nunc aequanimiter peccaminosae ebrietatis convicium.

Hebr. *mūlier dura spiritu*. Sensus maxime obvius esset *mulier obstinata*, quod tamen h. l. non quadrat. Dicunt קשה ad significationem *gravis* descendere; quae derivata significatio, licet ex 5, 7 et Iud. 4, 24 probabilis appareat, certa tamen non est. Possumus, quod in idem recidit, ex genio linguae hebr. *dura spiritu* interpretari; quae dura passa est spiritu, ergo *infelix* (*Vulg.*), *tribulata spiritu* (*Chald. Syr.*). LXX pro קשה רוח legebant ויב קשה רוח, *dura diei* (cf. Iob. 30, 25), i. e. quae duras videlicet experta est dies; ergo rursus *infelix*. *Non bibi*, sc. hodie; non proficitur, se « per totam vitam fuisse abstemiam » (*Malv.*)

v. 16 « *Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial* » seu malitiae, de mulieribus perditorum morum; « *quia ex multitudine doloris et moeroris mei locuta sum usque in praesens* ». Vehementer labiorum motus non ex temulentia provenerat, sed ex impulsu cogitationum propriae miseriae atque ex affectus intensitate. *Usque in praesens* omnem causae minus decentis pro praeterito tempore admixtionem excludit. v. 17 « *Tunc Heli ait ei: Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam quam rogasti eum* ».

Pro det vertit *Vatabl.* « dabit »; et *Drus.* « dabit : propheta est ». Utroque modo vox hebr. verti potest : sensus optativus (*Vulg.*) sufficit, propheticus satis probari nequit. — Hebr. *Non ponas ancillam tuam ante faciem filiae malitiae*, habent enim sing. nominis lectus. Proxime ad *Vulg.* accedit *Syr.*, tamen pro לפני legens לפניך : *Non reputes ancillam tuam ante faciem tuam filiam malitiae*. Et fortasse idem legebat *Vulg.*, nam *reputes* potest esse לפניך, והן לפניך, vel finale potest in quasi latere. Si lectio hebr. retineatur, dicendum erit, constitui rem ante alienius faciem, aut ut is ea utatur (cf. Ios. 10, 12; 4 Reg. 4, 43 etc), aut solius comparationis instituendae causa, uti h. l. : Ne aequipares ancillam tuam mulieri perditae.

v. 18 « *Et illa dixit: Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis* ». Formula valedicendi usitata, quasi dicat: Commendo me tuae benevolentiae (Theñ). Nota, hac vice Annam pontifici doloris petitionisque obiectum non manifestasse: « Non commemorat aemulae convicia, neque traducit illius malitiam, nec domesticam calamitatem exaggerat evulgans, sed hactenus aperit suam anxietatem, ut tantum sese apud sacerdotem purgaret » (Chryss.). Videtur autem pontifex percussus fuisse mulieris sibi respondentis sinceritate, reverentia, pietate; quare severitate in comitatem mutata, benigne illam usitata formula dimittit faustumque eventum apprecatur. « Qui accusator antea fuerat, iam se patronum profitetur » (Sanct. cf. Chryss.). « *Et abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati* ». Abiit opponitur voci surrexit v. 9, quando ad orationem se contulit; comedit opponitur voci non capiebat cibum v. 7; vultusque illius etc opponitur fletui v. 7, amaritudini v. 10. Sublata interiori afflictione omnis eius externa manifestatio sublata est. Quae tam instantaneae mutationis causa fuit? Fides simplicis animae, pontificis verba, tamquam ex ore Dei profecta essent, obdienter atque fidenter excipientis. Benignum pontificis alloquium eam commonefecerat benignissimae Dei providentiae, suis etiam angustiis prospecturi, « Deus enim tunc certam illi indidit fiduciam, quod oratio eius esset ab eo exaudita, quodque filium conciperet » (Lap.). — *Hebr. et facies eius non iam fuit ei amplius. LXX non concedit. Syr. non est turbata. Chald. vultus malus non iam fuit ei. Recte Wellh. affirmat, expressionem hebr. nimis succinctam distinctius reddidisse versiones, quin supponere opus sit, eas diversa lectione hebr. usas esse. v. 19 « Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino; reversisque sunt et venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana uxorem suam, et recordatus est eius Dominus ».* Anthropomorphice dicitur Deus recordari, quando effectum aliquamdiu dilatum producit (Sanct.), cf. Gen. 8, 1; 30, 22; Luc. 1, 54.

v. 20 « *Et factum est post circuitum dierum* » i. e. post anni decursum, « *concepit Anna et peperit filium, vocavitque nomen eius Samuel, eo quod a Domino postulasset eum* ». « Est igitur orationis fructus Samuel sanctus, magna fide et largo fletu matris comparatus » (Rup.). « Neque enim sicut in ceteris hominibus somnus et congressus tantum parentum, verum preces, lacrymae fidesque fuerunt huius generationis principia, eoque ceteris illustriorem habuit ortum propheta, propter matris fidem natus » (Chryss.).

Cum שָׁמַיִם etiam annum significet, cf. dicta ad v. 3, *circuitus dierum* est expressio synonyma alteri *circuitus anni* Ex. 34, 22; 2 Par. 24, 23. Sensus non est « intra annum vertentem... diceret Homerus περιτολήσου ἔνιαυτός » (Cler.); neque « post novi

anni initium » (Wellh.); neque « elapso naturali tempore a conceptione ad graviditatem et partum » (Malb.); sed « post anni reditum » (Rhab.) seu decursum. Quid autem interfecto anno factum est? non sane conceptio, sed quod v. 21 narratur. Modus est narrationis Hebraeis usitatus: Factum est autem post anni decursum — conceperat autem Anna et pepererat filium, et vocaverat nomen eius Samuel —, ascendit Elcana. — Samuel a שָׁמַיִם *postulare* difficile derivatur. « Non tum elymon nominis, quam rationem, cur tale nomen puer haberet, reddidit Anna » (Sanct.). Facillima derivatio et, quae Annae explanationi congruat, est שְׁמַיִם אֵל « exauditus Dei » (Ewald., similiter iam Abd.).

v. 21 « *Ascendit autem vir eius Elcana et omnis domus eius, ut immolare Domino hostiam solemnem, et votum suum* ». LXX pie magis quam feliciter addunt: et decimas omnis terrae suae. Non ita raro quaedam textui adiciunt. — Elcanam et ipsum votum vovisse, praeter uxoris votum, ut optatam ex Anna prolem susciperet, quis miretur? Sed praeter hoc votum immolanda erat *hostia solemnis* seu *hostia dierum* (Hebr.), i. e. hostia anniversaria seu annua (Sa, Mar., Lap.). Cf. dicta ad v. 3 et 20. — v. 22 « *Et Anna non ascendit, dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi iugiter* ». « Fugiebat Anna vel umbram retractationis. Semel Deo oblatum puerum volebat irrevocabiliter abdicare, nullo sibi iure reservato » (Duguet). Verba *non vadam* apposite Vulg. supplevit. Ex facto videtur sequi, potuisse mulieres oblationem purificationis offerre, aut per se aut per alium. Expressio *apparere ante conspectum Domini* adhiberi consuevit de accessu ad sanctuarium, ad quem quis lege obligabatur, cf. Ex. 34, 23 sq.; Deut. 31, 11; etiam Ex. 23, 17 et Is. 1, 12. — v. 23 « *Et ait ei Elcana vir suus: Fac, quod bonum tibi videtur, et mane, donec ablactes eum; procorque, ut impleat Dominus verbum suum* ».

אָיִן significat *revera, verumtamen, tantummodo, dummodo*; aliae versiones redderunt *verumtamen*. Sed quodnam est illud Dei verbum, cuius confirmatio seu impletio exoptatur? an pueri natiuitas? sed ea iam obliuit. Dicamus cum Cler., concessa pueri natiuitate Deum paratam voluntatem manifestasse, ut is vivus servaretur, in tabernaculo ministraret, nazaraeis legibus viveret. Concessa pueri natiuitate manifestavit Deus, se totum Annae votum ratum habere, et pontificis verba v. 17 sua facere: « Deus Israel det tibi petitionem tuam ». Hoc est Dei verbum, quod Elcana impleri exoptat. — Potest etiam verbi: *Revera, iam confirmat Dominus verbum suum*; iubilians patris exclamatio attestantis, se iam inchoatam divinae promissionis impletionem cernere oculis. — LXX Syr. loco *verbum suum* habent *verbum tuum*; interpretare verbum Dei ab Anna marito relatum et ita etiam Annae verbum effectum.

« *Mansit ergo mulier et lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte* ». Agitur de vera ablactatione (Sanct.), non de impropria quadam (Lyr.), ad annum septimum vel duodecimum protracta. Machabaeorum

mater 2 Mach. 7, 27 triennio filium lactaverat : videntur igitur Hebraeae matres longiori tempore infantem lactasse. v. 24 « *Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus et tribus modis farinae et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infans* ». *Vulg.* habet tres modios, *Hebr.* unum epha; sed ex Ruth 2, 17 tres modii sunt unum epha, et S. Hier. quandoque epha vertit tribus modios, cf. *Luc. Brugens.* — Pro in vitulis tribus lege in vitulo trienni. *LXX Syr.* pro בפר כשלש legebant בשלש בפרים, et concordat v. 25, mac-tationem unci bovis recolens. Adhuc *Px. Hier.*, ex Num. 15, 8 sqq. ad sacrificium unius bovis adhibendas fuisse tres decimas partes unius epha tritici, ergo integrum, quod hic scribitur, epha potius trium boum sacrificio respondisse. Sed respondet *Sanct.*, grata ac liberali manu Annam eas res largitam esse et, quod sacrificio superesset, pontifici dono destinasse. Ex Gen. 15, 9 efficitur, victimas triennes aliquando a Deo diserte pro sacrificio fuisse requisitas. v. 25 « *Et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli* ». Non deerant sane prope tabernaculum mulieres, quibus cura pueruli demandari posset, cf. 2, 22.

v. 26 « *Et ait Anna : Obsecro, mi domine, vivit anima tua, domine* » — quibus interiectionibus pontificis attentio sollicitatur —, « *ego sum illa mulier, quae steti coram te, hic orans Dominum* ». Immerito hinc infert *Then.*, Iudaeos consuevisse orare stantes. v. 27 « *Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum* ». Iam ludit bis in verbo שאל; item bis sequenti versu. v. 28 « *Idcirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commo-datus Domino* ». *LXX*, et similiter *Syr.*, legentes היה pro היה : *cunctis diebus, quibus vixerit, commo-datam Domino*. — Anna evidenter ludit in diversis formis verbi שאל, a quo originem nominis Samuel repetit (v. 20). Dato etiam, ei verbo commodandi sensum competere, certe is h. l. ineptus est : Anna quippe voverat, non commodare, sed dare. Recte *Keil* : « facio eum expostulatum Deo cunctis diebus ». Cum Anna postulasset adiecto voto, seu postulasset filium Deo consecrandum, postulatio sola pueri nativitate nondum erat expleta, sed subsequente conse-cratione remanebat complenda. Vere igitur Annae erat postulationem absolvere consecratione filii, siquae ipse efficiebatur שָׂאֵל, *expostulatus* Dei, Samuel. In toto hoc verborum lusu illud mirandum, illud ad-amussum aptari nomini Saul, et multo minus aptari nomini Samuel. — « *Et adoraverunt ibi Dominum* », Elcana et omnis domus eius. Ita *Vulg. Syr.* et plures codices *hebr.*, contra *Hebr. et adoravit*. Huic membro parallelus est v. 19 : ibi adorant primum, inde domum revertuntur ; hic adorant, 2, 11 revertuntur, sed Anna inter adorandum Deo plena in

canticum prorumpit. « *Et oravit Anna et ait* » : — « Canticum non fuderat Anna nato puero; fundit, ubi eundem in perpetuum Deo conse-crata » (*Duguet*).

## CANTICUM ANNAE

*Cap. II.* Ad huius cantici expositionem revertens *Chrys.* : « Non possum », inquit, « mulierem hanc ex animo meo eximere, usque adeo formam animae eius ac pulchritudinem admiror ». *Theodoret.* : « Cum concepisset prophetam, prophetat post partum ». *Sanct.* : « Quomodum capsae, quae aromata aut unguenta continent, odorem retinent, etiam dum vacuae sunt, quem a re odorata aliquamdiu libarant : sic etiam Anna, quae novem mensibus sacerdotem et prophetam in visceribus condidit, aliquid inde hausit, quod ad prophetatam et sacerdotale negotium pertineret. Quare divinas canit laudes, quod sacerdotis est, et futura praedicat, quod prophetae ». Pulchre etiam de hoc cantico disserit *Rup.*

v. 1 « *Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo; dilatatum est os meum super inimicos meos, quia laetatum sum in salutari tuo* ». Fuerat pridem Anna afflicto corde, in fletu et abstinentia demiserat cornu, contrahebatur os, ut labia tantum moverentur neque vox audiretur : nunc omnia in contrarium mutata conspiciuntur. Describit suam iubilationem Anna, ab interna cordis exultatione ad eiusdem externas manifestationes gressum faciens : « Cor est, quod loquitur » (*Sacy*). Arrigitur frons, recluditur os et loquitur confidenter, neque solum adamicos, sed ad ipsos etiam adversarios; loquitur, inquam, non tam verba exprobrationis de ipsorum, quam exultationis de gestis Dei. Quaeris tantae iubilationis causam ? illa, oculis in Deum conversis, exclamat : Etenim gaudeo de salvatione tua. « Non enim quoniam servata sum, sed quoniam per te servata sum, propterea laetor et exsulto. Ita quippe affecti sunt sancti : de Deo magis laetantur auctore munerum, quam de ipsis muneribus; non enim propter dona ipsum, sed dona propter illum diligunt » (*Chrys.*).

Ergo perperam *Keil* ita iungit membra : Exsultat cor meum, quia exaltatum est cornu meum; patet os meum ad praedicandam salvationem tuam. — Cornu arrectum simile est a gregibus petum : taurus siquidem ex roboris conscientia arrecta cornua gerit. Est igitur illud signum, quum interni roboris, tum eiusdem roboris conscientiae; quae non raro in superbia degenerat, unde is etiam quandoque sensus, non tamen h. l., subest. Nos dicemus *arrecta fronte incedere*. « Quomodo exaltatum cornu ? » quaerit *Chrys.* « In Deo meo. In tuto est haec celsitudo, ut quae firmam atque immobilem radicem habeat ».

Patehre versum ita amplificat *Rap.*: « Humilientur et de terra loquantur quondam loquaces inimici mei, filii carnis et non fidei; mihi namque nunc versa vice loquendi auctoritas data est, ut non iam in angulis mussitem, aut ore dimidiato loquar, sed ore dilatato sic eloquar super inimicos meos, qui mihi sterilitatem exprobrant, ut audiar in toto mundo ».

v. 2 « *Non est sanctus, ut est Dominus; neque enim est alius extra te. Et non est fortis sicut Deus noster* ». Celebrat iam Anna illa divina attributa, quibus suam salvationem vel maxime acceptam refert: *sanctitatem, fortitudinem*, quibus statim subnectit *omniscientiam*. Primum igitur Deum proclamat comparatione omnium sanctissimum; sed ideo comparatione, quia etiam absolute: nullus est alius praeter te, ubi non inepte *LXX* supplet *sanctus. Rap.*: « praeter illum nemo mundus a corde ». Nulla est sanctitas a Dei sanctitate independens, vel potius: omnis creata sanctitas sanctitati Dei comparata nulla est, cf. Iob 45, 44 sq. — *עיר* significat *petram*, sensu adiectivo *fortis* vel *potens*; ita *Vulg. Chald. Syr.*, dum *LXX* videtur legisse *עיר* *iustus*. « Deus petra » est idea vel maxime Davidica, Samuelica; est thema Psalmi, quem 2 Reg. 22 descriptum habes. Apte nostri cantici initio Deus ut Deus petra celebratur, cui superstruendum sit regnum, ad cuius fiduciam nos omnes libri paginae sollicitant. Ceterum eandem expressionem habes Deut. 32, 4. 15. 37.

v. 3 « *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes* ». *LXX* repetit negationem: *Nolite gloriari, nolite loqui sublimia*. In *Hebr.* ea non repetitur ad musicam versus augendam; sic enim habentur primum duo verba similiter sonantia, dein eadem bis repetita vox: *אל־תְּרַבְּרוּ תְּקַבְּרוּ גְבוּרָה גְבוּרָה*. Sed *LXX Chald. Syr.* non repetunt *גְבוּרָה*. Hanc *Wellh.* derivata *גְבוּרָה altus*, addito *ה* locali, et vertit: « Nolite multiplicare loqui: Sursum, sursum! » « *Recedant vetera de ore vestro* »: — *עֵתֶק* sec. radices significationem verti potest *vetera*, quae dein sunt ipsa sublimia et insolentia verba: Cessate loqui sublimia. Sed adiectivi *עֵתֶק* consueta significatio est *insolens*. Ita Ps. 30 (31), 19: « Muta fiant labia dolosa, quae loquuntur adversus iustum iniquitatem (*עֵתֶק*) in superbia et in abusione ». Cf. Ps. 74 (75), 6; 103 (104), 4. Ergo: recedant insolentes sermones de ore vestro. Verum *LXX Chald. Syr.* hic aut legerunt aut supplendam putaverunt negationem, vertentes: non exeant insolentes sermones de ore vestro. Ceterum, quomodocumque tandem legas aut construas, sensus versus manet substantialiter idem. — « *Quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes* ». Deus scientiarum i. e. omniscius. *Keri Vulg.* *עֵלִי*, et *ipsi. עֵלִילָה* vel *magnalia* significare potest, vel *nequitias*. Hinc duplex sensus: et ipsi definita

sunt magnalia, ipse praedefinitiv, operatum se esse magnalia; vel: et ipsi definitae sunt nequitiae, omnino perspicuae, transparentes, unde non proficient iniqui, nequitiam magiloquio obvolvete conantes. *Kethib* et fortasse *Syr* *עֵלִי*; et non subsistent *nequitiae. LXX* *עֵלִי עֵלִי עֵלִי* *Deus definiens magnalia*; qui ceterum sensus coincidit cum *Keri, Vulg.*

Vidimus v. 2 non dari virtutem in creatis, si divinae virtuti comparatur. Quid ergo? Num Deus virtutis creatae nullam omnino rationem habet? Habet, sed toto coelo diversam ab ea, cui nos assuevimus: superba enim mundi humiliare, humilia exaltare consuevit. Hinc v. 4 « *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore* ». *קֶשֶׁת גְּבוּרִים חֲרִים*: verbum sequitur numerum nominis potioris, vel *קֶשֶׁת* collective intelligitur (*Ev.*). v. 5 « *Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt* ». *Hebr.*, imaginem laboris pro victu suscepti retinens: et *esurientes (prius) otiauerunt*. Qui prius in saturatie vitam agebant, nunc prae inedia operam locant; dum, qui prius inedia conficiebantur, nunc ob annonae copiam a labore abstinent. Sequens *עַד* gradationem exprimit, non est vertendum *donec*, sed vel *ipsa (Ev., Sanct.)*; et vere habetur gradatio, mirabilis enim est sterilem fecundari, quam fortes confringi aut opulentos ad mediam reduci. « *Donec sterilis peperit plurimos, et quae multos habebat filios, infirmata est* ». Pro plurimos *Hebr. septem*: summa fecunditas septenario liberorum numero etiam exprimitur Ruth 4, 15; Ier. 15, 9. — *Infirmata est, Hebr. emarcuit*, quod de plantis dicitur, et h. l. extinctionem virtutis prolificae significat (*Sanct.*). v. 6 « *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit* ». v. 7 « *Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat* ». v. 8 « *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriae teneat* ». Atque sic tuto ipse agere potest, quippe cuius solius placito vicissitudines omnes, vita et mors, divitiae et egestas, nobilitas et abieccio, plenissime subsunt. Quam veritatem universalissime resumit sequens incisum, a *LXX* omissum: « *Domini enim sunt cardines terrae, et posuit super eos orbem* ». Fundamenta terrae, una cum superposito orbe, Dei sunt.

*בִּזְנוֹק* h. l. tantum et 15, 5 recurrit, utrobique incertae est significationis. *Vulg. cardines* — *prominens, Chald. inferi* — *respicens, Syr. profunda* — *porrigitur. Munst. Valabl. columnae*. Alii ad radicem *עֵק* vel *עֵק* *fundere* recurrunt, unde petunt significationes *porrigitur, respiciens; Furst* pro nostris duobus textibus fingit radicem aliquam *עֵק* *eminere*, ergo *columna, prominens*. Melius recurrit ad *עֵק* vel *עֵק* *statuere*, quae significatio pro *hiphil* eruiat ex 2 Reg. 15, 24; Ios. 7, 23. Apud Assyrios habetur radix *עֵק* *statuere*: cf. I. N. Strassmaier, *Alphab. Verzeichniss der assyr. u. akkad. Wörtern*, Leipzig 1882, II. 383. Hinc 1 Reg. 14, 5 vertimus *constitutus*; h. l. id, quod ipsam constitutum est et supra quod aliud constituitur, ergo *fundamentum (Lap.)* seu, si mavis, *cardo*.



v. 9 « *Pedes sanctorum suorum servabit, et impij in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir* ». Hebr. non superabit robore homo, quia non est fortis sicut Dominus. Conticescent euphemismus est pro peribunt. Cum ipse sit Dominus omnium, gressus piorum, licet pauperum etc, servare potest et servabit, sui enim sunt; impio, licet opulentos etc, perimere potest et perimet. Servabit autem illos circumfusa, perimet hos subtracta semitae eorum luce.

v. 10 « *Dominum formidabunt adversarii eius, et super ipsos in coelis tonabit. Dominus iudicabit fines terrae, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu christi sui* ». Super ipsos Vulg. Chald. Syr. contra Hebr. super ipsum, quod explicandum esset (Keil) de adversariis, iam per modum singularis obiecti conceptis. Dominus tonitru, quod frequens symbolum est iudiciorum Dei, prosternet inimicos suos atque dominium universi orbis sibi vindicabit; dein vero non immediate, per se ipsum solum, imperium administrabit, sed illud transferet in regem quemdam a se constituendum ideoque suum. Ceterum textus hebr. plenus est vigoris; vox *Iehova* bis absolute ponitur, velut tessera bellica proelium ininitus data: *Iehova* — terrore deficient adversarii eius; super ipsos de coelo tonabit. *Iehova* — ipse dominabitur finium terrae etc. v. 11 « *Et abiit Eleana Ramatha, in domum suam* ».

Iam de huius cantici origine et natura dicamus.

1) Bertholdt (Einl. III 918) et Then. tenent, hoc canticum ab Anna nequam fuisse pronuntiatum; esse epinicion quoddam ab auctore libri Samuelis Annae attributum, quod v. 1 et 3 cum eius historia quadrarent. Then. canticum declarat esse epinicion Davidis post caesum Goliath. Quae sententia nugatoria est, tum quia scriptura explicite asserit, Annam hoc canticum pronuntiasse; tum quia nihil in illo reperitur, quod illa non aptissime pronuntiare potuerit, uti infra patebit; tum quia nulla ratio est, illud Davidi auctori adscribendi. Verum quidem est a v. 2 non dissimile esse Ps. 17 (18), 32: « Quoniam quis Deus praeter Dominum, aut quis Deus praeter Deum nostrum? » Aliae nostri cantici ideae in psalmis Davidicis recurrunt. Sed perperam ex eiusmodi infert Then., canticum Davidis esse auctoris. Id solum sequitur, multos in psalmis reperiri pios sensus, quos Samuele doctore hauserit David, quos ipse Samuel cum lacte materno imbiberit.

2) Ch. G. Hensler (Erlaeuterungen des I. B. Samuels, Hamburg u. Kiel 1795, p. 16) censet, canticum diu ante Annae tempora esse compositum, occasione partae eiusdem victoriae; potuitque illud Annae innotescere et ab ea usurpari, quod aliqui versus aptissime cum eius historia quadrabant. Quae sententia non contradicit literae scripturae, neque excludit S. Spiritus influxum, sive in eo carmine primum concinundo, sive in Anna ad illud tali occasione usurpandum movenda; neque est Anna indigna, nam certe non dedecebat Annam carmine

aliunde petito uti, cum non dedecerit Mariam canticum Magnificat ad imitationem quamdam cantici Annae effingeré.

3) Volney et Cahen (apud Migne: Scripturae S. cursus IX. 86 sq.) negaverunt, potuisse ruciolae, qualis Eleana fuit, uxorem tali carmini concinendo parem esse. Verumtamen erraverunt viri sagacissimi. Nam expressiones fere omnes, quibus canticum coalescit, aut identicae aut aequivalentes, etiam aliis scripturae locis antiquioribus recurrunt, atque Hebraeis piis, etiam ruciolis, debuerunt esse perquam familiares. Expressiones affines v. 1 usurpatis sexcenties in V. T. repiuntur. Noto duos textus, quos Anna ignorare non potuit: unum ex vaticinio Iacobaeo Gen. 49, 18 « *Salutare tuum expectabo* »; alterum ex canticum Moysis Ex. 15, 2 « *Fortitudo et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem* ». Rursum in loco Deut. 32, 39, omnibus Hebraeis perquam familiari, legitur: « *Videte, quod ego sim solus et non sit alius Deus praeter me* »; quod sane est idem cum Annae verbis *neque enim est alius extra te. Sanctitas Dei*, licet minus frequenter quam v. g. in Isaia, tamen in antiquioribus etiam libris iterato effertur: Lev. 11, 44. 45 et praesertim Ios. 24, 19. *Dei fortitudinem* tota populi electi antiquissima historia praedicat. Anna ait *Dominus mortificat et vivificat etc*; Dominus per Moysen ait Deut. 32, 39: « *Ego occidam et ego vivere faciam*; percutiam et ego sanabo ». Plura, quae Deut. 28 et sqq. habentur, omnino suggerunt illas antitheses, ab Anna v. 48 usurpatas. Specialim in historia patriarcharum quaedam notissima habentur exempla *sterilitatis* in fecunditatem commutatae. Omnia Dei magna, in favorem populi electi et perniciem eius inimicorum patrata, nomine *iudiciorum* Dei veniunt, cf. Ex. 6, 6; 7, 4 etc; Gen. 18, 25 dicitur: « *qui iudicas omnem terram* », et Ex. 15, 18: « *Dominus regnabit in aeternum et ultra* ». Una ex plagis Aegyptiacis fuerat grandio cum *tonitru* (Ex. 9, 23), lex in Sinai crepitantibus tonitribus fuerat data (Ex. 19, 16), alias (Ios. 10, 11. 42; Iud. 5, 20) de coelo Deus dimicaverat pro populo suo.

Instituto regni praenuntiata Deut. 17, 14 sqq., eiusque tempus et modus approximative definita erant: « *Cum ingressus fueris terram... habitaverisque in illa... eum constitues (regem), quem Dominus Deus tuus elegerit* ». Unde hand dubium est, quin magna tunc Hebraei eius institutionis expectatione tenerentur, tantoque maiori, quanto longiori iam post occupatam terram sanctam tempore regni institutio differebatur. Hinc etiam Iud. 8, 22 sq. regnum Gedeoni obtulisse leguntur. Dices, vocem *christi* primum in nostro canticum inveniri; verum, quia rex instituendus fuerat praenuntiatus, ergo eum etiam christum i. e. unetum esse oportebat. — Hucusque solum eos textus appellavimus, qui referantur ad eventus aetate Annae priores. Quodsi psalmodum librum aetatis immediate sequentis pervolvamus, in sexcentas incides expressiones, expressionibus cantici aut identicas aut affines. Verum psalmodum auctores non sunt censendi nova aliqua et inaudita prius lingua esse locuti, sed ea esse usi lingua iisque expressionibus, quae omnibus perspicuae atque in omnium ore iam ante fuissent. Ergo in *expressionibus* nostri cantici nihil est, quod Annam excludat auctorem, quod non potius ipsi debuerit esse perquam familiare. Cave autem, rusticitatem Eleanae ruciolae exaggeres: fuit is levita, isque pius et in lege optime instructus,

ergo etiam elocutionis biblicae haud ignarus. — Quid vero? Num forte *nextis* atque *sublimitas idearum* ea sunt, quae Annam non patiantur auctorem? Mitto hic inspirationis quaestionem, suo loco discutendam. Verum omnis haec difficultas evanescit, si sententiam, ei quam Henslerus proficitur, affinem sequaris: sc. Annam iam exstanti quodam canticum usam esse, illudque plus minusve transformasse. Neque enim dedecet in Anna admittere, quod in B. V. obtigisse nemo est qui neget.

4) Antequam de cantici inspiratione dicamus, *cantici idea* accuratius nobis est describenda. Igitur cum *Aug. Sanct.* aliisque statuimus, fuisse quidem Samuelis nativitatem occasionem, non vero adaequatum obiectum exultationis Annae. « Itane vero verba haec unius putabuntur esse mulierculae, de nato sibi filio gratulantis? » De Civ. Dei I. 17 c. 4. n. 2. Durum nimis est, quae de inimicis dicuntur, de arcu fortium, unice ad Phenennam referre, aut expectare, Dominum in illam et filios de coelo tonitrua esse iacturum. Quid tandem egerat misella ista mulier! Provocaverat sociam ad indignationem, immo ad lacrymas. Verum nec ita multis nec ita atrocibus verbis id officii potuit in muliere, licet pia, sed in Annae adiunctis constituta. Dicamus ergo cum *Calm.*: « Divinus Spiritus, qui canticum intus in corde dictabat, e privato illo beneficio, quod a Domino acceperat, mentem eius ad maiora et altiora erigebat ». Quanam autem altiora illa sint, ex ultimis vel maxime versibus perspicimus. Describitur ibi pugna sanctos inter et impios, quae ipsius Domini interventu feliciter cessura, quamque divina regis cuiusdam institutio consecutura sit. Cum igitur regni institutio iam dudum ante fuerit praenuntiata et eo praecise tempore communiter exoptaretur (v. s.), dubium non est, quin hanc eandem Anna suo canticum expresserit. Unde inimici, iam v. 1 nominati, nullatenus sunt Phenenna eiusque filii, sed inimici populi electi. iidem inimici cuiusvis eius populi individui. Pugna intelligitur ea, quae inde ab exodo aegyptiaca et per totam iudicum epocham ferbuerat. In hac pugna se Dominus adiutorem seu salutare populi sui et multoties iam praestiterat et etiam pro futuro tempore pollicitus erat — *salutare*, vi supremi in res universas domini, in potentes atque infirmos, divites et indigos, steriles et fecundos, vitam et mortem. Hoc supremum dominium actu exerceerat in exauditione Annae; et ita haec exauditio simul argumentum est eius divini domini, et consequenter pignus futurae de inimicis victoriae et regni temporalis institutionis. Verum, cum tota populi sancti historia uni redemptionis operi, inimicorum spiritualium subversioni et regni messianici institutioni subserviat, consequenter eadem exauditio pignus erat futurae omnium promissionum adimpletionis. Ergo nomine regis christi proxime David, sed inde etiam ipse messias intelligitur, totum sceptrum ex Iuda per modum unius; inimici intelliguntur primum nationes genti Hebraeorum infensae, inde omnes hostes Christi et Ecclesiae, atque prae ceteris ipsa synagoga. Haec autem omnia sensu intelliguntur literali, non spirituali, quod alterum sensisse videtur *Sacy, Duquet.* *Sensu hucusque explicato canticum est expressio fiduciae promissionum adimpletionis.*

5) Est etiam canticum *propheticum* hoc sensu, quod futura praenuntiet. Utrum vero horum notitiam Anna ex solis revelationibus anterioribus repetierit, an

praeterea specialem aliquam etiam ipsa habuerit prophetica illustrationem, ambigi potest. Neque certo definiri potest, noveritne ipsa sui, quem generat, filii ministerio regnum fore instituendum, atque ita mediate promissionum adimpletionem viam sternendam. Rationes quibus suadeatur canticum esse *stricte propheticum ideoque inspiratum*, haec recenseri possunt: ipsum factum, quod *mulier* pia et sensata in eiusmodi canticum *publice* prorumpat; quod in illud prorumpat, quo *tempore* puer Deo consecratur, cum naturalis exultatio potius in nativitate pueri prorupisset; quod a *privatis* acceptis beneficiis illico ad altiorum idearum ordinem, ad beneficia genti sanctae collata, celebranda progrediatur, quod a muliere publice certe non nisi divino instinctu fieri par erat; quod alia similibus occasionibus edita cantica pro inspiratis habenda sint; quod regni institutionis hoc canticum facta esse mentio videatur specialiori Dei instinctu, cum ipse Annae filius eius institutionis minister a Deo esset praesignatus. Certe *Chald.* canticum propheticum habuit, uti ex eius paraphrasi colligitur.

## 2) Filiorum Heli peccatum 2, 41-47.

Narratio initium sumit ab animadversione, quae respicit Samuelis personam. Inde ad sacrilegia filiorum Heli, quae ruinae causa praecipua fuere, enarranda progreditur. « *Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis* »; Heli intuentem, invigilante, dirigente. Ministrabat autem puer pro ratione aetatis: quae enim hic narrantur, per longius tempus continuata sunt, ut etiam ex v. 21 patet. Continuo Samuel ministerio fungebatur, continuo filii Heli praevaticabant, quotannis Elcana et Anna filium visitabant. v. 12 « *Porro filii Heli filii Belial, nescientes Dominum* », cognitione practica (*Sanct.*); unde refutatur *Anania* exclamans: « *Mihi non possum persuadere, eos quid officii sui esset ignorasse* ». — v. 13 « *neque officium sacerdotum ad populum* ». *Vulg.* cum praecedentibus iungit, *Chald.* cum sequentibus hoc modo: *Statutum autem sacerdotum respectu populi hoc erat.* Secundum hunc contextum v. 13 et 14 describeret eam, quae tum vigeret, legitimam praxin, v. 15 tandem filiorum Heli praevaticationem narraret. Sed verba *Sic faciebant universo Israeli* videntur potius arbitrarium aliquem, quam legitimum agendi modum describere; et praxis ipsa non erat legitima, etenim non pars quaelibet fortuito arrepta cedebat sacerdoti, sed pectusculum et armus, Lev. 7, 30 sqq. Ergo standum constructioni *Vulg.*

Textus *hebr.* in utramque partem trahi potest, cum sit quaestio de sola interpunctione. *LXX* pro Chaldaei lectione quandoque citatur. Sed recte *Houb.*: « quae apud Graecos interpretis interpunctio est in libris impressis, haec nova est, tollitque orationis graecae continuationem ». *Vatabl.* aliique conantur, utramque lectionem ad eundem fere sensum revocare: Hic autem erat modus agendi (sacrilegus) sacerdo-

tum ad populum. Sed non placet, filios Heli voce *sacerdotum*, loco pronominis suffi-  
xi, designari.

« *Sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua* », v. 14 « *et mittebat eam in lebetem, vel in caldarium, aut in olam, sive in cocabum; et omne, quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi* ». Triplex filiorum Heli scelus recenset *Rup.*: quod alias, praeter pectusculum et armum, tulerint partes; quod ante incensum adipem eandem tulerint; quod cum mulieribus sint commixti. Addit *Duguet*, quod crudam carnem pro cocta petierint: sed, num id erat contra legem? De pectusculo et armo sacerdotibus reservandis cf. *Lev.* 7, 30 sqq.; *Num.* 6, 20; 18, 18. Quae potest, ea carofueritne usurpata praeter pectusculum et armum, quae sacerdoti cedebant, an loco eorum. Videtur praeter ea esse usurpata. Nam traditio pectusculi et armi erat pars actionis sacrificialis, nec videtur intra hanc facile potuisse omitti. Dein, si loco pectusculi et armi sacerdoti, quod fuscinula levasset, cederet, peior evaderebat sacerdotis conditio, cui multo sapius partes sequiores obtingere oporteret; non autem videntur filii Heli privilegio pectusculi et armi in popularium favorem sponte se abdicaturi fuisse, cum aliunde describantur fuisse gustosi v. 15, violenti v. 16, imo lascivi v. 22.

« *Sic faciebant universo Israeli venientium in Silo* ». Vide praevariationis et scandali extensionem, durationem. v. 13 « *Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam* ». Etiam gradatione magis nefarium exprimit scelus. Ergo populus, vel antequam adeps adoleretur, carne coquenda occupabatur, sive quod sacer actus nonnihil differretur, sive quod populus, sacerdotum negligentiam imitatus, ne expectata quidem sacrificii completionem, ad parandum epulum properaret. v. 16 « *Dicebatque illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, et tolle tibi, quantumcumque desiderat anima tua* ». *Infin. absol.*, qui in textu hebr. legitur, protestationem urgentiorem reddit et ostendit, quam indigna etiam de plebe hominibus sacerdotum agendi ratio videretur. « *Qui respondens aiebat ei: Nequaquam, nunc enim dabis, alioquin tollam vi* ». Sacrilegum erat, sacerdotem sibi partem vindicare, antequam suam Deo tribuisset; quare dicuntur v. 29 filii Heli, se saginasse de primitiis omnis sacrificii Israel. v. 17 « *Erat autem peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a sacrificio Domini* ».

*Pueros* intellige, non pontificis filios (*Vatabl.*), sed servos, antehac semper eo no-

mine nuncupatos, quo pontificis filii neque appellantur unquam, neque facile appellari poterant: quippe filios natu maximos tam grandaevis parentis oportebat esse omnino maturae aetatis, quae appellationem *נַרְיָא* vix ferret. Sed peccatum servorum simul erat peccatum dominorum, scientium neque prohibentium, imo probabilissime iubentium. *Vulg.* nunc legit *retrahebant homines a sacrificio*: sed error est typographicum incuria in biblis Clementinis admissus (*Verc.*), pro *detrahebant homines sacrificio*. Concordat *Hebr.* *נָרְיָא*, quod nunquam retrahendi, sed utique detrahendi significationem habet. *Chald.* *Spreverant viri oblationem Domini*. Quinam autem erant isti viri seu homines? Pueri ipsi peccantes, inquit *Then. et Keil*, unde *keil* verbum causative accipit: « contemere faciebant ». Planius: homines ad immolandum adventantes. Peccatum igitur filiorum Heli sacerdotum carpitur maxime ex eo, quod peccatum scandali fuerit. *LXX.* vocem *homines* omittens, vertit *quoniam irritum faciebant (pueri) sacrificium Domini*, utique aestimatione plebis. Sensus idem. Sed eam vocem, praeter citatas vers., etiam retinet *Syr.*

### 3) Annae pietas et fecunditas 2, 18-21.

Paragraphus etiam haec primum de Samuele agit.

v. 18 « *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo* ». v. 19 « *Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem* ». v. 18 resumit, quod dicebatur v. 11 de ministerio pueri. Ascendebat mater *statutis diebus*, i. e. quotannis, ad offerendam *hostiam solemnem*, i. e. annuam; cf. dicta ad 1, 3. 21.

*Ephod* vestis est scapularis. Utrum hanc quoque fecerit ei mater, non docemur. Usitata est expressio « accingi ephod », eo quod illud vestimentum balteo circa lumbos astringeretur. *Ephod* supra *tunicam* (*כַּיִתָּה*) gerebatur. *Ex.* 28 describuntur ephod et tunica, quibus pontifex induebatur. Eiusdem nominis amictus inter sacerdotum vestimenta *Ex.* 28, 40; *Lev.* 8, 13 non recensentur. Videntur tamen sicut primis saeculis christianis stola, manipulus et alia, non fuisse vestimenta exclusivae sacra. *Samuel* tunica induebatur, non solum quandiu puerulus ministrabat in tabernaculo, sed per totam vitam 1 *Reg.* 28, 14; *Jonathan* tunicam detractam *Davidi* dono dedit 1 *Reg.* 18, 4; *David* rex coram arca saltavit, indutus ephod et tunica 2 *Reg.* 6, 14; 1 *Chron.* 15, 27; atque *Saulis* tempore videntur sacerdotes universim gestasse ephod 1 *Reg.* 22, 18. Quod tamen ephod, ubi a non pontificibus gestatur, semper « ephod lineum » appellatur. Porro *Clar.*, satis improbabiler, asserit, matrem ad singulas solemnitates unam eandemque tunicam attulisse, illis peractis *Ramatham* retulisse.

v. 20 « *Et benedixit Heli Elcanae et uxori eius, dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro foenore, quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum* ». v. 21 « *Visitavit ergo Domi-*